

sonale, a jure communi latum, et non reservatum, potest tolli ab episcopo, aut suspendi ad tempus, vel ab alio habente jurisdictionem quasi episcopalem in communitatem interdictam; sic colligitur ex cap. *Nuper* 29, de Sent. excomm., ubi expresse dicitur « quod legislator specialiter sibi non reservavit aliis ordinariis iudicibus concessisse videtur. » (4. Non tamen episcopus posset interdictum relaxare, si esset latum a Papa tanquam ab homine, quia censura specialiter lata ab homine non potest auferri nisi ab ipso ferente, vel delegato, aut superiore in ipsum plenam jurisdictionem habente, ex capit. *Pastoralis* 11, § *Præterea*, de Officio Jud. Ordinar.

(5. Interdictum locale, sive generale, sive particulare, et interdictum personale generale non possunt tollere seu ab illo absolvere parochi et alii confessarii; etiam privilegiati, quia ad relaxandum interdictum locale generale, et particulare, et personale generale, requiritur jurisdictio pro foro externo, qualis non est in parochia nec in aliis confessariis, etiam privilegiatis; qui solum habent jurisdictionem pro foro animæ. Locus autem et communitas non subiacent iudicio interno pro foro animæ, ut se patet. (6. Possunt tamen parochi et alii confessarii absolvere ab interdicto personali particulari a jure lato, et non reservato, ut colligitur ex cap. *Nuper* 29, de Sentent. Excomm.

(7. Si interdictum quodcumque per specialem sententiam latum sit ab homine, v. g., ab episcopo, ordinarie is solus qui illud tulit, vel illius delegatus, vel successor, aut ejus superior plenam jurisdictionem in illum obtinens, potest absolvere: cap. *Pastoralis* 11, § *Præterea*, de Officio Jud. Ordinar.; cap. *Querenti* 26, de Officio Delegat.; cap. *Si Episcopus*, causa 5, qu. 3.

(8. Sicuti pariter soli supradicti possunt absolvere ab interdicto lato per sententiam generalem, quando auctor illius in ipsa generali sententia ejus absolutionem sibi reservavit: arg. cap. *Nuper* 29, de Sent. Excomm. Vide dicta de Absolut. et Excommun.

(9. Interdictum generale locale non potest relaxari ad cautelam: sic habetur expresse

INTERLOCUTORIA SENTENTIA.

Vide verb. SENTENTIA a num. 3 ad 17, et verb. APPELLATIO, art. 4.

INTERPRETATIO LEGIS.

(1. « Legis interpretationem culmini tantum principali competere nemini venit in dubium, cum promulgandæ quoque legis auctoritatem fortunæ sibi vindicet eminentia: » Novella Justiniani de muliere rapt. pass. 143, et expressum est in l. ult. Cod. de legibus: « Si leges condere soli imperatori concessum est, et leges interpretari solo dignum imperio esse oportet. » Et paulo post: « Tam conditor quam interpretis legum solus imperator juste existimabitur: » eod. In quem sensum et Innoc. III

in cap. *Præsenti*, 10, de Sentent. Excomm. in 6, his præcisus verbis: « Beneficium relaxationis ad cautelam, quoad interdicti sententias in civitates, castra, vel quælibet alia loca, seu terras aliquas generaliter promulgatas, locum aliquatenus non habere. »

(10. Quæcumque vero alia interdicta ad cautelam possunt relaxari, sicut excommunicatio, quia excommunicatio et interdictum pari passu procedunt, ut probat ex variis testibus glossa in d. c. *Præsenti*, verb. *Declaramus*; ergo, sicuti excommunicatio potest relaxari ad cautelam, ita pariter interdictum, eo vel maxime, quod non debemus nos facere extensionem ad ullum aliud interdictum, cum textus præcisè loquatur de interdicto locali generali, ut patet aperte in dicto cap. *Præsenti* 10, de Sentent. Excommunic. in 6, supra relat.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(11. Interdictum, ut dictum est in addit. ad artic. 1, fertur vel uti censura, vel uti pœna. (12. Interdictum uti censura, quemadmodum et quælibet alia species censure, non nisi absolutione tollitur. (13. Interdictum vero uti pœna, si elapsum sit tempus, ad quod fuit latum, non tolli, sed cessare dicitur. (14. Ante vero tempus illud dispensatione tollitur: Hurt. de Censur. tract. de Interdict. difficul. 16, n. 46.

(15. A quibus unum et alterum interdictum tolli possit, breviter, sed perspicue, tradit mox laudatus auctor, qui num. 49, tametsi conveniat interdictum generale locale tolli haud posse ad cautelam, « Nihilominus, subdit, quodcumque interdictum adhuc locale generale posse tolli ad tempus ab eo qui potest illud totaliter auferre in foro exteriori, et ab eodem posse quoad aliquem effectum auferri sive ad tempus, sive absque termino, ut quoad aliquam missam, aut quoad aliquem sepeliendum: quin interdictum potest a ferente ipsum quoad suos effectus limitari, tam quoad primam impositionem illius, quam quoad conservationem, quia conjunctio omnium effectuum interdicti non est jure annexa cum ipso, sicut sunt jure connexi omnes effectus excommunicationis cum ipsa. »

voluit Constantinus in l. 1 Cod. eod. in eo quod rescribit: *inter aequitatem jusque interpositam* (alii interponendam) *interpretationem nobis solis et oportet, et licet inspiciere, etc.*; et Valentinianus l. 9 Cod. eod.: *Duritiam legum oportere imperatoria interpretatione emendari*. Siquid ergo proposita controversia definiat juraliter, aliter suadeat æquitas, semper erit servanda lex clara, etsi dura et aspera, et potius cum Ulpiano respondendum: *Hoc perquam durum est, sed lex ita scripta est*. Durum sic, et ab æquitate alienum est, quod nepos post mortem avi neque jure civili ad legitimam avi hæreditatem vocetur, neque jure prætorio ad bonorum possessionem tanquam cognatus: l. *Titius* 6, ff. de suis et legit. hæred.; l. 6, pr. ff. de injust. Rupt. testam.; l. 1, § 8, ff. *Unde cogn.*, § *et licet* 8, Inst. de hæred. quæ ab intest. Durum quidem nepotem hunc ab avi successione excludi a quo non minus descendit, et cujus non minus est sanguis quam qui eo vivente nati et concepti sunt; at cum lex ita scripta sit, juxta illam, non de illa judicare debet iudex, neque esse ipsa lege clementior: nov. 82, cap. 10. Sunt vero qui putant hanc juris dispositionem, seu melius subtilitatem, correctam per nov. 118, c. 1; at, cum super hoc articulo nulla occurrat emendatio in prædicta novella jus vetus et quoad hoc vigere debet.

(4. Nec minus durum illud est, quod qui ad rem alienam servandam impensas fecerit, si remedium jure civili proditum neglexerit de retinenda re, opposita doli mali exceptione, dum res a domino vindicatur: l. *sin autem* 27, § ult.: l. *Sumptus* 48, ff. de rei vindic.; l. *Si quis* 11, eod., etc., nullam impensarum nomine habeat actionem: l. *Si in area* 33, ff. de Cond. indeb.; l. *Paulus* 14, ff. de Except. doli mal.; l. 14, § 1, ff. comm. divid. Hoc contra æquitatem esse neminem fugit; huic tamen iudex acquiescat necesse est, quin aliud excogitare remedium eidem liceat, quo non possidenti subveniatur, ne sub specie æquitatis a mente legislatoris recedat: ad l. *Benignus* 18, ff. de Legib. Vid. nov. 82, c. 10, etc.

(5. Hactenus de juris interpretatione disserere labor irritus videri posset, si ad hominem privatum illa nequam pertineat. Verum non unum dari interpretationum genus manuscripta monuit glossa, et probari potest per l. 1, ff. de Orig. jur.; l. 1, § *qui operas* 6, ff. ad S. C. Tertull., et per alios textus, etc. Et infra habetur ex auctore art. 5, lex *quoad cessationem*, num. 19, et plurib. seqq., etc., quod interpretatio alia sit *authentica*, seu *necessaria*, alia *usualis*, alia *doctrinalis*. Ad principis itaque maiestatem spectat authentica ac necessaria legis interpretatio, deque ea accipiendum quidquid supra annotavimus, ut videre est apud Barth. Salicet. et alios ad l. 1, ff. de Orig. Jur.; Constant. Roger. in tr. de jur. Interpret., p. 3, n. 1, Cæpoll. ad rubr., ff. de Verb. Signific.; Bartol. ad l. *omnes populi* 9, ff. de Just. et Jur.; Felin. in c. *Pastoralis* 8, de Fid. instrum., et in c. *Super*, quæst. 27,

in pr. de off. deleg.; Abb. in c. *Ex parte* 3, ff. de Verb. Signif.

(6. Cæterum si verba legum non sint adeo clara, ut absque ulla interpretatione intelligi queant, neque usque adeo obscura, ut legislatoris mens non dignoscatur, dabitur locus etiam interpretationi privatorum, qui, vel iudices sint vel jurisconsulti, verba legis ad sententiam interpretando accommodant: l. 12 et seq. ff. de Legib., et ex l. ult. Cod. eod. tit.

(7. Lex omnis duabus constat rebus, verbis nimirum, et mente, seu sententia: l. 29 et seqq., ff. de Legib., l. 5. Cod. eod.; l. 6. § 1, ff. de Verb. Signif., et ibi Alciat., Brech., Forner., Cujac., Rebuff., et Gædd.; l. 15, § 2, ff. de Jurisd.; l. 3, Cod. de adult.; l. *Si ancillas* 63, ff. de Legat. 1; Tiraq. ad l. *Si unquam* 9, c. de Rev. donat.; Duaren. de Legib., cap. 8; Angel. Mathæuc., lib. 1, de Jur., cap. 30, num. 14, et lib. II, cap. 1; Donell. lib. I, Comm., cap. 13, quæ ubi inter se conveniant, nulla opus est interpretatione. *Continuus* 137 § *Cum ita re*, in fin.; ff. de Verb. Oblig.; l. 1, § *Si quis* 8, ff. de Dot. Præleg. at ubi inter se discrepare videntur verba et mens, tunc sane ad interpretationem recurrendum est, ita quidem ut mens potius ac voluntas verbis prævaleat: l. *Non dubium* 5, vers. *quod ad omnes etiam legum interpretationes, tam veteres, quam novellas trahi generaliter imperamus, ut legislatori, quod fieri non vult, tantum prohibuisse sufficiat; cæteraque quasi expressa ex legis licet voluntate colligere*. Cod. de legib. et Const. Prine. et edict. Ratio namque legis dicitur anima et spiritus, ipsius legis, verba autem dicuntur superficies; merito itaque in cap. *Marcyon* 64, caus. 1, qu. 1; « Non in verbis scripturarum, sed in sensu, Evangelium noscitur esse; nec in superficie, sed in medulla, nec in sermorum foliis, sed in radice rationis. »

(8. Ulterius vero ratio dispositionis clare expressa idem omnino est ac ipsa mens ac voluntas disponentis: fingi enim vix potest quod quis voluerit aliquid diversum vel contrarium rationi quam expresse aperuit: mens namque volens quod rationi a se expressæ non convenit, mens est non sui compos, ostendit enim se non percepisse vim rationis qua sese motam asseruerit. Quod si certa est et clare expressa ratio dispositionis, certa pariter esse necessario debet mens et voluntas disponentis, ex hoc autem sequitur ut dubiorum verborum interpretatio desumi omnino debeat a ratione quæ fuit expressa, adeo ut iisdem affigatur unice sensus, qui expressæ rationi conveniat, in quo quidem nulla irreperere disceptatio potest, quia, posita certa ratione, apparet statim quid cum ea conveniat quidve ei opponatur: cognitio vero quid rationi conveniat, cognita esse necessario debet mens et voluntas disponentis, cum ratio et voluntas unum sint, nec una possit ab altera dissentire.

(9. Indubia hæc rectæ rationis principia pluribus Romanarum legum testimoniis con-

firmanur: l. *Cum Pater* 77, § *dulcissimis* 20, ff. de Legat. 2; l. *Cum Labeo*, ff. de supr. leg., l. *Cum de Lanionis* 18, § *Asinam* 2, ff. de Fund. instr. et in instrum. leg.; l. *pen.*, ff. ad exhib., l. *in ambiguis* 96, ff. de Reg. jur.; l. 3, Cod. de const. pec.; l. fin. Cod. *quæ res pign. obl. poss.*, cap. *Humanae aures* 11, caus. 22, quæst. 5, § *quotiens* 18, Inst. de inut. stipul. Demum in l. *Si is qui animo*, ff. de acquir. Possessione, clare statuitur omne dictum a sua ratione dirigendum atque explicandum esse; adeo ut, ubi militat eadem ratio, idem jus statui debeat: l. *Illud*, ff. ad leg. Aquiliam, etc.: quod cessante ratione dispositionis, cessare quoque debeat dispositio: l. *quod dictum*, ff. de Pact.; l. *Adigere*, § *quamvis*; ff. de Jurepatr.; denique quod, correcta ratione legis, lex ipsa correcta censeatur: l. 1, ff. de Legit. Tut.; l. *Generali*, Cod. de Sacr. Eccles.

(10. Ex ratione dispositionis duplex emergit interpretationis species. Si enim legislator minus scripsit quam sensit, et tunc ea obtinet interpretatio quæ communiter *extensiva* appellatur: arg. l. *qui quartam* 15, ff. de legat. 1; l. *quoties* 9, ff. de Hæred. Instit. Aut vero plus quam sensit scripsit, et in hoc casu interpretatio *restrictiva* verborum amplitudinem restringit, atque coarctat ad mentem legislatoris.

(11. Sunt qui præter duas hasce interpretationis species, tertiam addunt nomine declarativam: Cæpoll. in tr. de interp. jur., extens. in præfat. circa fin.; Alberic. de Rosat. in tr. Statut., par. 1, qu. 9; in pr. Thuming., decis. 26, n. 24; Donell., lib. 1. Comm., cap. 13, 14 et 15.

(12. Sed hanc declarativæ interpretationis speciem rejiciendam monet clarissimus Heineccius, qui quanquam suis in operibus illam aperte distinguit a restrictiva et extensiva, in notis tamen ad Puffendorf. de Officio hominis et civis, lib. 1, cap. 16, § 10, fateri non erubuit declarativam hanc interpretationem singulares regulas non requirere; quæ cum ita sint, cum cæteris potius videtur confundenda; omnis siquidem interpretatio regulas necessario requirit, quarum ope mens primo intuitu paulo obscurior detegi ac percipi possit.

(13. At quidquid sit de hac declarativa, de extensiva primum, mox de restrictiva interpretatione nonnulla adjiciemus. « Nulla enim, inquit Cæpolla, pars juris utilior, nulla melior, nulla præstantior, nulla magis frequens, aut usu quotidiana, quam extensiva juris interpretatio. » In hoc autem ratiocinandi genere quam fœde erraverint veteres jurisconsulti pluribus intelligitur exemplis. Sic legimus Aristonis inductionem rejectam a Paulo, eo quod quid de stipulatione recte sentiebat, ad judicia perverse trahebat: l. *inter stipulantem* 33, § *Si Stichum* 1, ff. de Verb. Oblig. Ita Pedium ab eo reprehensum ex eadem causa in d. l. § *Sacram* 5, ff. de Verb. Oblig. Sed hæc dissimilia sunt. Et Julianum in l. *Julianus* 20, ff. de Jur. dot., quod non esse simile ac-

cepi. Tractant tamen eam Barth. Cæpoll. in alleg. tract. de extens. jur. Interp.; Matth. Mathesilianus in tractat. Extensionis; Stephan; de Phender. in tr. de jur. Interp., a pag. 11 usque ad pag. 57; Constant. Roger. de jur. Interp. part. v et seqq.; Everch. in Topic. in loc. a ratione legis ampla, seu generali ad extensionem ipsius legis, cap. 79; Donell. lib. 1, Comm., cap. 14.

(14. Ex ratione legis itaque amplianda lex erit ea interpretatione quæ dicitur extensiva; quod fieri debet, etiamsi taxativis verbis lex fuerit scripta. Talis enim taxatio ad dispares casus excludendos est referenda; apposite ad hanc rem scripsit Cic. in Topic., num. 22. « Quod in re pari valet, valet in hac quæ par est, ut quoniam usu auctoritas fundi biennium est, sit etiam ædium. At in lege ædes non appellantur, et sunt cæterarum omnium, quarum annuus est usus. Valeat æquitas quæ paribus in causis paria jura desiderat. » Vide Voet. in Pandect., lib. 1, tit. 3, de Legib., n. 20.

(15. Etenim « neque leges, neque senatus consulta ita scribi possunt, ut omnes casus qui quandoque inciderint comprehendantur, sed sufficit et ea quæ plerumque accidunt contineri. Et ideo de his quæ constituuntur, aut interpretatione aut constitutione optimi Principis certius statuendum est. Nec enim possunt omnes articuli singularim aut legibus aut senatus consultis comprehendendi, sed cum in aliqua causa sententia eorum manifesta est, is qui jurisdictioni præest ad similia procedere atque ita jus dicere debet. Nam, ut ait Pedius, quoties lege aliquid unum vel alterum introductum est, bona occasio est cætera quæ tendunt ad eandem utilitatem, vel interpretatione vel certa jurisdictione suppleri: » juxta Julian. et Ulpian. in l. 10 et seq., ff. de Legib. Lex: *inquit Aristoteles*, etsi vellet, non posset omnia complecti, etc.

(16. Hujus extensivæ interpretationis exempla plura nobis suppeditant Romanæ leges. Primum habetur ex l. 2, § *si mater*, ff. ad Tertull.; proponitur ibi matrem non petentem tutorem pro filiis excludi ab eorum intestata successione. Querit ad hujus legis interpretationem Ulpianus, an mater excludenda quoque sit, si petito et dato tutore, sed eo postea, vel legitime impedito, vel minus idoneo detecto, neglexerit petere curatorem; Text. in § *Interdum*, Inst. tit. de Curatoribus, et excludendam esse decisum fuit, quia ratio legis fuit unice filiis consulere, quibus consultum minime dici poterat, si petitus ac datus tutor defecisset. Hinc Ulpianus inquit: « Quid si curatores non petit? Verba rescripti deficiunt, sed dicendum est, siquidem curatorem non petiit, eandem esse rationem. »

(17. Et Paulus in leg. *Senatus Consultum*, ff. de Ritu nupt., referens dispositionem Senatus consulti qua cavetur, *ne tutor pupillam filio suo vel sibi nuptui collocet*, statuit legis sanctionem extendi quoque ad nepotem ex filio ipsius tutoris, etsi nil de nepote disponat. Hujusce legis extensionem Paulus repe-

tit ex intrinseca ejusdem legis ratione, quæ prohibet connubium puellæ cum filio tutoris, quia filius, qui sub patria potestate est, una eademque persona cum patre reputatur. Hoc tamen dicas de jure civili, secus vero in jure canonico, quod permittit tutorem pupillam in uxorem ducere, ut habetur ex Panormitano in cap. 2, de secund. Nupt., et ex Gothofred. in notis ad l. ex S. C., etc. Videndæ quam maxime sunt, l. 32, ff. ad l. Aquil.; l. 16, ff. de Spons.; l. *si quis tutor* 60, § *Quamvis* 5, ff. de Rit. nupt.; l. 4, ff. de Fund. dot.; l. 11, ff. de Præscript. verb.; l. 29, § *et quid si tantum* 5, ff. de Lib. et posthum., et l. *Filium habeo* 14, ff. ad S. C. Macedon.

(18. At si ratio dispositionis, cum est amplior verbis, extensivæ interpretationi locum præbet, sic ubi constet plus scriptum, et minus intellectum esse, tunc verba restringi debent: l. 3, c. de leg., *vers. quod ad omnes*; l. *Paulus respondit* 29, vers. *Sed ea*, ff. de Pign., etc.; l. *ut gradatim* 11, ff. de Mun. et hon.; l. *Promittendo* 91, de Jur. dot.; l. fin. Cod. ad S. C. Vellei.; l. 1, c. de SS. Eccles. et ibi Accurs.; l. fin. Cod. de testam. milit.; l. *Quidam* 26, c. de decurs., lib. 10.

(19. Restrictivæ interpretationis exemplum desumitur ex l. *Maritima*, quam referat auctor ad Herennium lib. 1, cap. 11. « Qui propter tempestatem navim reliquerunt, omnia perdant, navis cæteraque sint eorum qui in navi remanserint. »

(20. Suborta tempestate perterriti, qui in navi erant, scapham conscendunt relicta navi. Unus ægrotus vi morbi detentus permansit in navi. Navi in portum incolumi delata, ægrotus sibi acquisitam navim ex memorata lege contendebat. E contra dominus rem suam persequabatur, ex quo ægrotus, ex sententia legis, navim sibi acquirere non poterat, cum in ejus potestate non fuerit vel navim relinquendi, vel in ea permansendi. Quæsitum fuit de ratione qua legislator motus illam condidit legem, eaque erat, « ut qui navis servandæ causa in navi permansisset, præmium acciperet. » Qua legislatoris posita condendæ legis ratione, decidendum fuit navim domino esse restituendam. Ægrotus enim in navi permansit, non ut navis ipsa servaretur opera sua, sed coacte remansit, quin ad eam servandam ullimode posset conferre. Ægrotus itaque legis ratio convenire non potuit, ergo nec dispositio; quapropter restrictiva interpretatione in hac lege opus fuit ut navis domino adjudicaretur, et ab acquisitione navis cæterorumque quæ in ea erant, ob inutilem et coactam permanentiam repelleretur ægrotus. Alterum hujus interpretationis exemplum habes in l. *Cum pater* § *dulcissimis*, ff. de Legibus, et gloss. in l. fin., § *in computatione*, ff. de jur. Deliber.

(21. Verum hæc ad illustrationem tertiæ regulæ, quam tradit auctor art. 5, l. *quoad cessationem*, num. 27, pro interpretatione legis doctrinali recte faciendâ dicta sufficiant. Cæterum vero si quis plura super hac re

desideret, consulat Val. Giul. Forsten. de Jur. Interpret., lib. II, cap. 2, ex Thesaur.; Ev. Othon. tom. II, pag. 1009 et pag. 1029 et seq.

(22. Plures vero interpretationis regulæ in promptu sunt apud auctorem loco supra cit. inter quas hoc unum mouemus, caute saltem accipiendam regulam illam, quæ tanquam commune axioma plerumque ponitur, nimirum: *Favorabilia extendenda, odiosa restringenda*. Vid. auctor l. c. num. 37 et 38. Fundamentum hujusce regulæ ex pluribus juris Romani legibus petere arbitrat, qui talem sequitur regulam. Prima lex est *Cum quidam*, ff. de Lib. et Posthum., in qua nulla declaratur exhæredatio in parte, ex quo odiosa est, et in parte valida dicitur institutio, quia favorabilis est; idemque erui contendunt ex l. *Legatis*, l. fin. ff. de Transact.; l. *In omnibus*, ff. de Obligat., et ex l. fin. Cod. de edit. D. Adr. toll., et ex aliis, quæ referuntur a glossa in cit. l. *Cum quidam*, etc.

(23. Hujusce tamen regulæ fallaciam demonstrant ipsæ Romanæ egæ, ac primo in l. *Si mater*, ff. ad Tertyll. Ibidem mater a filii successione excluditur, si tutorem filius non expostulet. Pœna imposita matri si tutorem non petat filiis, est certe odiosa, quapropter ex communi axiomate videretur pœnalis sanctio ad eum casum tantummodo restringenda quo filiis tutorem mater non expostulet. At secus in eadem lege deciditur hanc pœnalem sanctionem et ad eum casum extendendam esse quo petitus tutor idoneus, non sit, vel alio modo deficiat, nec filiis mater curatorem expostulet.

(24. Magis quoque prædictæ regulæ elucescit fallacia, si animadvertamus quam difficile sit exacte definire quid odiosum, quid favorabile sit. Eadem siquidem juris dispositio potest esse odiosa simul et favorabilis; quod enim uni accrescit alteri decrescit; quodque uni prodest alteri obest. Ut puta dos est favorabilis genero, odiosa socero, privilegium est favorabile privilegiato, odiosum concivi; legatum favorabile legatario, odiosum hæredi; vectigalia favorabilia fisco, odiosa subditis.

(25. Post hæc ad usualem legum interpretationem perveniamus; quæ usu fori recepta est, ac longæva rerum judicatarum observantia confirmata.

(26. De hujus interpretationis auctoritate agunt Romanæ leges, ac præcipue in tit. ff. de Legib., quarum potissima est lex 23, eod., etc. Vide et l. 1, § *Denique*, ff. de Aq. pluv. arcend. et confirmatur in l. 83, eod. tit., etc., et alibi, etc., ejus fundamenta tradit Wurffel in Jurispr. Defin., § 17, in l. 23, 37, et 38, ff. de Legib., et exemplum affert ex 2, f. 26, c. *Naturales*, quo naturalibus, etiamsi legitimi sint, denegatur successio in feudis; hoc tamen caput ad legitimos a principe usus restrinxit. Cætera videbis apud auctorem l. c.

(27. Alia vide verb. *Lex*, art. 5, a num. 18 ad 21, et n. 42.